¶Sed si libeat inuenire e,t.absq; notitia anguli e, h, t. sed solum per arcus e,h.h,t. iam notos, quia proportio sinus k, ad sinum k,t.componitur ex duabus,scilicet proportione sinus h.n. ad sinum n, e. & proportione sinus e,m.ad sinum m,t. Correlarium.

Proportio sinus complementi diuersitatis aspectus in latitudine ad sinum totum, est sicut proportio sinus complementi diuersitatis aspectus in circulo altitudinis ad sinum complementi diuersitatis aspectus in longitudine.

¶Nota etiam quòd angulus t,e,h.uocatur angulus latitudinis,quia ei opponitur diuersitas aspectus in latitudine. Angulus autem e,h,t.uocatur angulus longitudinis,quia ei opponitur diuersitas aspectus in longitudine.

PROPOSITIO XXVII.

Cuius rei inquisitionem præcedere oporteat,cum Luna latitudinem ab eclyptica habuerit.

¶Sit portio eclypticæ a,b,g. portioq; circuli decliuis Lunæ a, d. ut a. sit nodus d. uero locus Lunæ in circulo decliui, à puncto d. sit orthogonalis super eclypticam d,b.à polo horizontis e.ueniant portiones circulorum altitudinum e,b.e,d.h,z.sitq; d,h. diuersitas aspectus Lunæ in circulo altitudinum,ut locus eius uisus in eodem circulo t,h.ab h.cadant duæ portiones h,k. quidem perpendicularis super a, b. & h, t. perpendicularis super d,b. Sic longitudo Lunæ à nodo uera erit a,b.uisa a,k.diuersitas aspectus in latitudine arcus d,t.in longitudine h,t.secundum k,b. Quærendi igitur sunt arcus d,h.h,t.& d,t.nobis uero ex premissis non constat arcus e,d.sed notus est arcus e, b. Ideoq; si uolumus scire arcum d,h. opus est scire prius arcum e,d.loco arcus c,b.Item si ex arcu d,h.cupiamus scire arcus h,t. & t,d. opus est scire angulum e,z,g.qui sine sensibili differentia æqualis est angulo d,h,t.hic uero ex præmissis nondum notus est, sed tantum angulus e,b, g.notus fuit, quare ad cognitionem arcum d,h.h,t. & t,d.oportet præcognoscere arcum e,d.& angulum e,z,g.quod est intentum.

PROPOSITIO XXVIII.

Quando circulus altitudinis orthogonaliter eclypticæ insistat,arcum inter polum horizontis & Lunam. Item angulum ex concursu huius circuli altitudinis,& eclypticæ ostendere.



¶Sit portio eclypticæ a,b,g portioq; circuli altitudinis z,d.b,e.inciden tis super eclypticam ad angulos rectos, & tunc idem fiet etiam circulus longitudinis loci Lunæ,& sit d. uel e.locus Lunæ palam tunc est,quòd nulla est diuersitas aspectus in longitudine,propterea quòd circulus altitudinis per polos zodiaci transeat. Sit autem z. polus horizontis,quia iam notus est arcus z,b. ex præmissis, & data latitudo Lunæ b,d. uel b,e. ideoq; arcus z,d. aut z,e. noti fient qui quæruntur. Palam etiam est quòd anguli apud puncta d.& e.ex circulo altitudinis,& circulo decliui Lunæ prouenientes,insensibiliter à rectis differunt,propter modicam latitudinem in eclypsibus,ideo nihil diuersitatis sequeretur,si pro eis recti sumerentur.